


DISSERTAT

BOTANICÆ

A  
47  
415





BIBLIOTECA HOBBS  
GRANADA

Serie

A

Estado

47

No.

415

12

2-

01

*20 scales*

A-58(043) HELL

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21



BIBLIOTECA HOSPIDAL  
GRANADA

Salvo: A


Estanteria: 47

Num. de libro: 415

20 reales

2-91

A-58(043) HELL



8. - 1 - 11 - XXII - 1 A-58(042)

D. D.

# HYPERICUM,

12  
2-21

QUOD,

DISSERTATIONE BOTANICO-MEDICA,  
CONSENS. EXPER. FACULT. MED. UPSAL.

A-58-HELL

PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO atque GENEROSISSIMO,*

D: NO DOCT. CAROLO  
à LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUN. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.  
PROF. R. O. ACAD. PARIS. PETROPOL. IMPER. N. C. HOLM. UPS. LOND. ANGE.  
FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB. ROTER. NIDROS. CELL.  
PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO. ET FACULT. EDINB. ASS. HONOR.

PRO GRADU DOCTORIS,

IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE 20 NOV. A. 1776.

HORIS, A. ET P. M. SOLITIS,

R  
1959

EXHIBET

CAROLUS NICOL. HELLENIUS,

TAVASTIA-FENNO,

MAG. DOC. AD REG. ACAD. ABOËNSEM.

---

UPSALIÆ, Typis EDMANNIANIS.



VIRO  
MAXIMÆ IN S:RAM R:AM M:TEM FIDEI,  
ECCLESIAE SVIOGOTHICÆ  
ARCHIEPISCOPO,  
ACADEMIÆ REGIÆ UPSALIENSIS  
PRO-CANCELLARIO,  
VENER. IBIDEM CONSIST. ECCLES.  
PRÆSIDI,  
REG. ACAD. SCIENT. HOLMENS.  
MEMBRO,  
REVERENDISSIMO PATRI  
S. S. THEOL. DOCTORI CELEBRATISSIMO,  
DOM. CAROLO  
FREDERICO  
MENNANDER,  
MECÆNATI MAXIMO.

22/7

Ob Patrocinium singulare,  
Quod omnibus artibus ac Scientiis  
Inque his etiam Medicinæ,  
&  
Historiæ Naturali  
Indulgentissime præbet,  
atque  
Ob summum Favorem  
Quem auctori per diu  
Benignissime exhibuit atque declaravit;  
Hoc quaecumque  
Inaugurale Specimen,  
Humillima mente consecrare  
Voluit, debuit,

*REVERENDISSIMI NOMINIS*

Cultor devotissimus  
CAROLUS N. HELLENIUS.

VIRO  
*CELEBERRIMO atque EXPERIENTISSIMO*  
DOM. DOCT. JOHANNI  
HAARTMAN,

ADSESS. ATQUE AD REG. ACAD. ABOËNS. MED. PROFES.  
REG. ET ORD. ACAD. REG. SCIENT. HOLMENSIS. MEMBRO.

Patrono de se suisque studiis longe meritissimo,

**H**asce studii sui medici primitias, & se ipsum, venerabundus devovet & consecrat

*Amantissimo Nomini*

addictissimus cliens  
CAROL. N. HELLENIVS.

## C. L.

**E**a fere est humani generis conditio, ut, si varia hominibus concedantur, ex quibus unum tantummodo eligere possint, uni hoc, alteri illud placeat; unusquisque, tamen suas habet, atque adducere potest causas, cur unum præ alio amet. Hinc mirum non est, me, post Academicorum studiorum meorum curriculum, Hypericum, pro Dissertationis materie elegisse, præsertim quum ex ipsa infantia splendidissimi Floræ campi plurimum mihi arriserint, & neotericorum quorundam novitatem non satis admirari potuerim, qui plantam hanc, olim summis celebratam laudibus, ita vilem jam faciunt, ut ex officinis illam rejectam optaverint. Tu interim B. L. si in amplissima hac materia vires defecerint, & in conscribendi ordinem error irrepserit, & rudior stylus offenderit, benigno ut interpreteris animo, rogo & confido.

A

HY-

# HYPERICUM.

## §. I.

- C**LASSES, quibus ab Auctoribus Botanicis inferitur:  
A CÆSALPINO refertur ad Classẽ VIII, Herbaceas, triplici principio, non bulbosas, & Ordinem III. quibus semina plura in singulis alveolis.  
A MORISONO ad Cl. VIII a numero Capsularum & Petalorum dictam, & Ord. II. Tricapularium Pentapetalorum.  
A RAIJO ad Cl. XXIII Pentapetalas vasculiferas, & Ord. I. quibus Folia ex adverso bina.  
A KNAUTIO Patre ad Cl. V. Unicapsulares Pentapetalas, & Ord. IV trivalvium.  
A HERMANNO ad Cl. X. Tricapulares, & Ord. I. Polyspermarum.  
A BOERHAAVIO ad Cl. XVII. Triangias, & ord. I. Polyspermarum.  
A RIVINO ad Cl. V. Regulares Pentapetalos, & Ord. V. pericarpio tricapsulari.  
A RUPPIO & LUDVIGIO ad eandem *Rivini* Classẽ & ordinem refertur.  
A KNAUTIO filio ad Cl. XII. Pentapetalos uniformes, & ord. XVIII Capsulis tricaps. membran. polyspermis.  
A TOURNEFORTIO ad Cl. VI. Rosaceos, & ord. IV. Pist. in fr. multicapsularem,  
A MAGNOLIO ad Cl. XII. calyce externo & interno polypetalos, & ord. I. flore regulari, fructu capsulari.  
A GENEROSISS. PRÆSIDE ad Cl. XVIII. Polyadelphiam, & ord. III. Polyandriam.  
Ab. HALLERO ad Cl. III Polystemones & ord. IV multilocular.



A ROIJENO ad Cl. XVIII Polyantheras, & ord. I. pericarpio simplici.  
A WACHENDORFFIO ad Cl. II. Anisostemonopetalas, & ord. I. Pleostemones, styloideæ, tristylæ.  
*Ordine Naturali* pertinet ad Rotaceas Cl. XX. ob florem rotaceum.

§. II.

GENERIS hujus character hic est.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* subovatis, concavis, æqualibus, persistentibus.

COR. *Petala* quinque, oblongo-ovata, obtusa, patentia, altero margine breviora, tenuiora.

STAM. *Filamenta* plurima, capillaria, basi coalita, in 5 s. 3 phalanges. *Anthera* parvæ.

PIST. *Germen* superum, ovatum. *Styli* interdum 5, 3, s. 1, simplices, distantes, longitudine *staminum*. *Stigmata* simplicia.

PER. *Capsula* aut *Bacca* in tot loculamentis divisa, quot *styli* fuerint.

SEM. plurima, oblonga.

OBS. *Ascyri* genus distinxit *Plumier*, sub nomine *Hypericoides*, *Stylis* duobus, *Calyce* diphylo, *Petalis* quatuor, *Capsula* bivalvi. Huic generi consultius judicamus inferere *Hyperica Digyna*. Etenim *Hæc* aut excludenda sunt e genere, *Hypericorum*, aut totum genus *Ascyri Hypericis* subjiciendum, quum illud ex tota sua natura ad *Hyperica* accedere videtur.

§. III.

GEMMÆ hoc in genere construuntur a petiolis, & eum in modum ut recte ad *oppositivæ petiolares* referantur. FOLIATIO est *imbricata*, folia enim parallele, superficie recta, sibi invicem incumbunt.

§. IV.

SPECIES sub hoc genere cognitæ, sunt sequentes:

*Pistillis quinque.*

- balearicum* H. foliis ramisque cicatrifatis. †  
*kalmianum*. H. stipulis geminis, foliis lanceolatis. †  
*caijanense*. H. corollis hirsutis, foliis utrinque glabris,  
 bacca. †  
*bacciferum*. H. corollis hirsutis, foliis subtus incanis,  
 bacca. †  
*calycinum*. H. foliis obtusis, capsula. †  
*Ascyron*. H. foliis acutis, capsula. †  
*guineense*. H. floribus pentagynis, subumbellatis, caule  
 fruticoso, ramis teretibus, foliis ovatis,  
 acutis. vid. Fig. 1.

*Habitat in Guinea. And. Berlin.* †

*Frutex* cortice cinereo, in singulis ramulis duæ oppositiones foliorum: *inferiori* foliis minoribus.

*Rami* læves, teretes.

*Folia* opposita, petiolata, ovata, acuminata, lævia, integerrima.

*Pedunculi* oppositi ad latera foliorum superioris paris, patuli, longitudine plerumque folii, bifidi s. trifidi, multiflori subumbellati.

*Calyx* quinquepartitus, lanceolatus, concavus.

*Petala* erecta, supra medium patentia.

*Nectarium* glandulis quinque, ovatis.

*Filamenta* brevia, basi in quinque phalanges connata, *petalorum* basi adnata, *petalis* breviora.

*Germen* subrotundum, 5 angulare, *Styli* quinque, filiformes. *Stigmata* subcapitata.

*Cap-*



*Capsula* 5 angularis, 5 locularis, 5 valvis.  
*Semina* plurima.

*Pistillis tribus.*

- Androsæmum.* H. fructu baccato. 5
- olympicum.* H. flore foliis majore. 5
- petiolatum.* H. foliis subtus tomentosis, caule 4 gono. 5
- canariense.* H. paniculatum, caule ancipiti. 5
- biricinum.* H. pistillis flore longioribus, odore hircino. 5
- orientale.* H. foliis crenatis, sagittatis. 5
- scabrum.* H. caule scabro. 5
- repens.* H. foliis linearibus, obtusis, caule repente. 2
- prolificum.* H. foliis linearibus, caule ancipiti. 5
- ericoides.* H. foliis linearibus, imbricatis. 2
- canadense.* H. centaurii minoris facie, floribus minutissimis. 3

- virginicum.* H. foliis semidecurrentibus 2
- mexicanum.* H. floribus trigynis, ramis simplicibus, foliis imbricatis, ovatis. vid. Fig. 2.

*Habitat in nova Granada. Mutis 2*

*Caules* pedales, simplices, varicibus foliorum scabri, perennantes.

*Folia* ovata, sessilia, opposita, subimbricata, obtusa, avenia, lævia (*citri*).

*Corymbus* terminalis, dichotomus, sessilis, foliis non longior.

*Petala* linearia.

- quadrangulare* H. caule 4 angulo, foliis absque poris pellucidis. 2

- perforatum.* H. caule ancipiti, foliis quasi poris perforatis. 2

- bumifusum.* H. filiforme, procumbens. 2

- crispum.* H. foliis undulatis. 2

- perfoliatum.* H. panicula subdichotoma. 2



*Elodes.* H. villosum.  
*barbatum.* H. vid. *Jacquin. Austr. Part. III. pag. 33. tab. 259.* differt a cæteris caule tereti, *foliolis calycinis barbatis.*

*β. Pistillis 3. calyc. & bracteis serrato-glandulosis.*

*montanum.* H. læve. 24  
*birsutum.* H. caule pubescente. 24  
*tomentosum.* H. foliis tomentosis. 24  
*egyptiacum.* H. caulibus suffruticosis, compressis. 3 vid. Fig. 3.  
*pulchrum.* H. foliis amplexicaulibus, cordatis, glabris. 24  
*nummularium.* H. foliis cordato-orbiculatis, imbricatis. 24  
*Coris.* H. foliis subverticillatis. 24

*Pistillo unico.*

*cbinense.* H. monogynum. 1.

§. V.

Ex his omnibus solum nostrum natale quinque tantummodo profert species nimirum *quadrangulare, perforatum, bumifusum, birsutum & montanum.* Unicum vero, quod nomine triviali *perforatum* appellamus, in officinis receptum est, distinctum a reliquis omnibus foliis suis certe singularibus, quæ nempe soli obversa innumeris fere poris, acu quasi trajectis, aciem tum nostram, tum solis radios transmittunt. Ex qua ejus qualitate, nullo negotio, invenimus rationem denominationis illius Latinæ, qua *perforatum* & Græcæ, qua *Hypericum* audit, quæ ultima demum nomen totius generis constituit. Teste enim BOERHAAVIO, *Hypericum* conflatum est a Græcis vocabulis ὑπὲρ & ἕκαστον, quæ indicarent, quod per folia hujus plantæ rerum obviarum imagines videri possent a). Hi autem pori oculo armato examinati aliam

pror-

---

a) vid. ejus *Hist. plantar. pag. 324.*



prorsus sibi induunt indolem, clarissime enim mox patet, quod revera sint vesiculæ lentis forma, pellucidæ, & olea limpido, balsamico plenæ, non secus ac pyxides, ut ita dicam, olidæ & globosæ, quæ in epidermide fructus citri occurrunt.

Herbacea est hæc nostra planta, hinc male illam ut fruticosam descripserunt *Cesalpinus* & plurimi veterum.

Caulem habet ancipitem, non vero ut iisdem placuit teretem. Quod probe observandum, præterquam enim quod structura caulis constans sit nota specierum in toto hoc genere, fieri etiam potest, ut hac neglecta facillime confundatur cum *Hyperico quadrangulari*, viribus longe inferiori, alias sibi simillimo, quod pluries factum audiivi a Pharmacopolis Botanices ignaris, cuique illorum errori, adscribendum existimamus, quod hujus plantæ usus olim præstantissimus, nostris jam temporibus eo usque eviluerit, ut passim atque propalam contemptui sit.

In collibus & dumetis habitat, & a Generosiss. D: no Præfide in stationibus plantarum refertur ad *montanas* & ordinem *collinarum*. Flores protrudit mense *grossificationis*, quæ, ut notum est, illud complectitur temporis intervallum, quod intercedit florescentiam *Hæmerocallidis flavæ* & *fulvæ*. Varia apud varios obtinet nomina, A Svecis appellatur *Johannis ört*, a Scanis & Gothlandis *Hirckenpirck*, a Fennis *verån beinä*. Norvegis *Prikked mandehlod*, Danis. *St. Hans urt*, *Jordbumle*, *Blodblomster*, Germanis *Johannis Kraut* Belgis *St. Jobands Krauyd*. Anglis *St. Johns wort*. Gallis *millepertuis*. Italis *Herba rossa*.

#### §. VI.

Quod ad QUALITATES Hyperici nostri adinet.

SAPOR foliorum & floris ante plenam florescentiam, pingvis est cum amaritie quadam, *seminum* vero maturorum amarior instar amygdalarum amararum.

*Odor*

*Odor* est fraveolens & tempore, quo nuptias celebrat, aromatico - spirans.

Obf. Maxima vis hujus sita est in foliis, quippe quæ innumeris suis vesiculis certe multum balsamici continent, immo & in polline antherarum. Hinc ergo colligenda sunt ante eruptionem floris, utpote quo tempore folia vegetiora succique pleniora sunt, & flores polline antherarum nondum castrati, verum contriti abundantissime dant succum illum oleosum & spirituosum, valde inficientem, sanguinis humani instar ruberrimum, quem tanti fecere veteres, & ex quo herbæ etiam nomen *Androsæmum* dederunt a Græcis vocabulis *ἀνδρῆς* & *αἷμα* compositum. Caules & stipites rejiciuntur auctoritate *Boerhaavii*, qui illa raucedinem excitare postulat.

§. VI.

Ex allatis his Hyperici qualitatibus abunde certe pateret herbam hanc tantis, plurimis in morbis, gaudere viribus, ut vix alia quædam majoribus, sed quum ratiocinia de virtutibus plantarum e qualitatibus earum deprompta, ut nimis theoretica, tantum non omnibus placent, missa illa lubens facio, experientiam mox provocans, quæ ab antiquioribus retro temporibus huic, ob eximium ejus usum, in officinis si non primum certe nec ultimum dedit locum.

Inter præstantiora *resolventia*, præsertim ubi vitium sit a sanguine grumoso jam inde a *Camerarii* temporibus inclaruit *b)*, hinc ut remedium quoddam Divinum habitum est in affectibus *renum & vesicæ c)* & propinabatur sub forma electuarii ex conserva malvarum & rosarum cum sufficiente quantitate seminum Hyperici *d)*, quod *Timei* ab auctore nominarunt. In

*b)* Vid. Simon. Pauli Fl. Dan. p. III. pag. 154.

*c)* Vid. Zacut. Lusit. L. III. Med. Hist. 38.

*d)* Cfr. Ettmüll. Op. p. I. pag. 586.

In usu *vulnerario* præcipue nervosarum partium tantis semper encomiis laudata est, ut *Paracelsus* apertissime pronunciet, quod in vulneribus consolidandis & sanandis nulla huic par sit in toto terrarum orbe.

In admirationem raptus, pluries audivi D: num Præsidem narrantem de Chirurgo quodam Scanico, cognomine *Snell*, qui sola Tinctura Hyperici cum aliquot guttis tincturæ Aloës vulnera sanavit, quæ omnium iudicio, non solum gangrænam & sphacelum, sed ipsam etiam mortem minabantur. Casum habemus etiam a *Foresto e)* notatu certe dignissimum. Puer enim, qui tam graviter in fronte contusus erat cum cranii fractura, ut mox deliraret & quicquid in buccam veniebat evomeret, perfecte curatus fuit sola inunctione olei Hyperici in fronte. Hinc in species, balsama, olea, gargarismata, injectiones, unguenta: Verbo in omnia fere remedia vulneraria ingreditur f).

Inter *antibæctica* primas etiam penes veteres hæc nostra tenuit herba, nostris licet temporibus hic ejus usus penitus evilerit; etenim, ut cecinit Poëta:

*Vilia sunt nobis, quæcumque prioribus annis  
Vidimus, & sordet quicquid spectavimus ante.*

Hunc vero nec fuisse imaginarium, nec fructu destitutum a sequenti observatione, benignissime mecum a Generosiss. D: no Præsede communicata, clarissime patebit. Drotningholmia dum morabatur D: nus Præses, ex casu quodam sermo movebatur de morbis, qui omnem operam & studium medicorum eluderent, inter quos Phthisin pulmonalem omnes, unanimi fere consensu, numerandam esse existimabant. Primarius Regii Stabuli Præfectus Generosiss. D: nus *Wattrang*, unice dis-

B sen-

e) Vid. Ejus Libr. IX. obs. 32.

f) Vid. Plenck. Pharm. Chirurg. anno proxime præterlapso editam.



sentiebat, dicendo nullam fere esse curatu faciliorem, & hanc suam assertionem probare voluit experientia Dominæ Matris suæ, quam religiose affirmabat formula medicamenti cujusdam, quam possideret, ultra centum phthificos ex orci faucibus eripuisse. Petitionibus omnium annuens promisit, cum ruri suo reverteretur, se hanc illis ostensurum. Promissis stetit Generosissimus Vir & rediens secum habuit schedulam, a continuo usu penitus detritam, in qua erat desiderata illa Formula scripta, & quod mirum ipsa illa, quam virgini Phthificæ, apud Pastorem *Bredenbergh* in Paroecia *Björckskog*, D:ni Præses olim propria manu, cum ad Westrogothiam proficiscebatur, præscripserat, quam sibi, nescio quo casu fortuito, acquisitam, per plurimos annos, ut sacram in Phthisi ancoram, pie servaverat supra nominati D:ni *Wattrang* jam vita defuncta mater. Hanc, nutu faventissimo Præsidis mei, in ulterius & vulgatus commodum generis humani divulgare jam mihi permissum est. En itaque formulam, ob eximium suum usum, centies probatam & laudatam.

*Rec. Summitat. Hyperic mp. 1.*

*Coque in Vin. Hispan. libr. IV ad tertiæ  
partis remanentiam Cola.*

*D:r S:r Decoct, bvaraf ett halft quarter intages mår-  
gon och aftron.*

Verum quidem est, quum plures phthiseos sunt species, quod hæc medela in omnibus non valeat, in illa tamen, quæ post Hæmoptysin & ex ulceribus pulmonum provenit, ex hujus usu semper expectandum esse fructum exoptatissimum, experientia nixus Generosissimi D:ni Præsidis certissima, certo certius asserere audeo.

*Melancholicis, Hypochondriacis, Maniacis & cæteris  
affectibus animalis facultatis deliriosis hoc, ut specifico, u-  
tebantur veteres. Hinc quoque essentiali Hyperici compo-  
sitam*

stam cum *Anagallide Mysichtii* contra quævis deliria parare solebant g). In *Dæmonia*, credita imprimis, tanti æstimatum fuit *Hypericon*, ut etiam nomine *Fuga Dæmonum* inclaruerit. Credidit enim *J. Baptista Porta* se hac herba ipsum Dæmonem ejicere posse h).

*Cblorofin* corrigit teste *Simone Pauli* i) & in *Arthritide*, *Rheumatismo*, morbo *Hæbiatico*, tremore artuum & *Hysteria* hanc optimam esse plantam pleno ore affirmat *Celeb. Boerhaave* k) cum plurimis recentiorum. In ultimo vero morbo nimirum *Hysteria*, *Hypericon*, quod *hircinum* vocamus, majoris esse efficacix ex odore ejus hircino, merito concludimus.

*Lumbricis* resistere hanc herbam nostram tam generandis, quam generatis, experimentis certis comprobatur *Riverius* l), & inter optima in vermium doloribus remedia extollitur, a *Bartholino*, in *actis Hafniensibus*. Nec mirum, jucundissimo nim experimento, ostendit immortalis memoria dignissimus *Boerhaave*, quod si hæc herba caseo inspergatur, omnes vermes moriantur m). Ex quo etiam, quantum boni nobis ex hac herba in morbis exanthematibus vivis oriundis promittere liceat, acutus quisque vidit, & fera posteritas probabit. Semina a semise drachmæ ad integram adsumi possunt. Fieri quidem potest, quemadmodum non raro accidit, ut huic remedio non semper obtemperet illa *Tæniæ* species, quam *Solium* nomine triviali appellamus, sed pluries etiam vidimus optima, sic dicta, specifica ad illam expellendam frustra fuisse adhibita. Valeat itaque heic, quod in plurimis casibus medicis, iterata juvant.

Hy-

g) Vid. *Ettmüll.* Loc. cit.

h) Vid. *Libr. 3 phytognomon.* Cap. 13. pag. 171.

i) Vid. *Quadripart. Bot.* pag. 350.

k) Loc. cit.

l) *Cent. I. Obs. 91. Cent. II. obs. 16.*

m) Loc: citato.



*Hypericum tomentosum* in Dysenteria magnopere laudat Rajus, nostro etiam *perforato* egregiam vim in eodem morbo tribuit *Boerhaave*.

*Serpiginem* succo Hyperici *bacciferi* pellunt Surinamenses <sup>n)</sup> an non huic nostro eadem comperat vis, inquirant curiosi, valet enim plerumque in regno vegetabili canon: quæ genere conveniunt, virtutibus etiam conveniunt.

Rustici nostrates floribus hujus spiritum frumenti sumunt pingunt, quem dein lubenter hauriunt, cum ob colorem ejus, late purpureum, tum ob usum, quem ex illo sibi promittunt, polychrestum, optimum.

#### §. VIII

E veteribus materiae medicae Scriptoribus habemus primum *Dioscoridem* Anazarbensem. Sed plerumque nullas adfert plantarum suarum descriptiones, & si quæ adsunt, tam obscuræ atque imperfectæ sunt, ut neutiquam determinare possimus, quænam revera fuerint plantæ, quas hoc vel illo nomine indicare voluit. Misit quidem gloriosissimæ memoriæ Gallorum Rex, *Ludovicus XIV*, *Tournefortium* in Orientem, ut, inter alia negotia, in Græcia & ejus viciniis investigaret, si fieri posset, quænam genuinæ fuerint plantæ, ad materiam medicam pertinentes, a *Dioscoride* allatæ. Crediderunt enim tum temporis fere omnes, quod in scriptis veterum plenam utique haberemus materiam medicam, modo eorum cognosceremus herbas. Profectus quidem est *Tournefortius*, sed parvo certe hunc in finem fructu, ut, cuique in Historia litteraria materiae medicae aliquantulum versato, notum est. Quum vero de nostro Hyperico ex verbis *Dioscoridis* patet, quod eadem sit planta, quam suo jam tempore eodem nomine insignivit, ipsa illius verba, a *Matthiolo*

---

<sup>n)</sup> Vid. Dissert. D:ni Candid. *Alm* sub Præsidio D:ni Præsidis anno præterito ventilatam de Plant. Surinamens. pag. 13.



*thiolo* in linguam Latinam translata, proferre necessarium duxi. Hæc itaque sunt: "*Hypericon*, alii *androsæmum* alii *corion* alii *Chamepitbyn* apellant, quoniam semen odore resinam imitatur; furculaceo frutice, dodrantali, rubescente: folio rutæ: flore luteo, Leucojo simili, qui digitis attritus sanguineum succum remittit (qua ex causa androsæmon cognominatur) subhirsuta siliqua & in rotundo oblonga; hordei magnitudine, semine intus nigro, odoris resinosi, gignitur in locis incultis & asperis. Urinam ciet, menstrua pellit adpositum, tertianis quartanisque cum vino potum liberat. Semen quadraginta diebus haustum Ischiaticis medetur. Folia cum feminibus illita ambusta sanant. *Ascyron* s. *ascyroides* *Hyperici* genus est, magnitudine distans, fruticosius, majores habens ramos, furculosiores rubentesque; Folia tenuia, flores luteos, & fructum resinofum *Hyperico* non absimilem, cujus attritu digiti fere cruentantur, qua de causa *Androsæmum* vocaverunt. Usus seminis ad Ischiadicos, potum in hydromelitis sextario: nam biliosa recrementa amplissime detrahit: sed assidue dare oportet donec sanitati restituatur. Illinitur & ambustis efficaciter. vide *Matthioli Comment. in Diosc. L. III. Cap. C. LIII. & CLIV.* A succo floris sanguineo & odore resinoso patet hoc verum nostrum fuisse *Hypericum*.

## §. IX.

Quod in oeconomia, nec contemnendum sit hujus herbæ usus ex supra allato experimento Boerhaaviano abunde liquet. Possumus enim, illa adsperfa, caseos & fortassis cujuscunque sint generis edulia, de noxa insectorum liberare.

In arte tinctoria, teste Rev. D. D. Prof. & Soc. Ord. Vas. *Kalm*, o) gemmæ cum stipitibus lanam pul-

C

chro

---

n) Vid. A&T, Reg. Acad. Sc. Holm, Vol. VI. pag. 250.



chro tingunt colore luteo. Succus vero antherarum ruber, quod proxime conveniat cum *Gummi Lacca* & in *Baphiis* æmulatur *Sanguinem Draconis* & *Gummi Laccam* aperte affirmat. Celeb. Prof. & Eqv. Ord. Vaf. *Gadd. p*).

Ex *animantibus* domesticis pecora, boves, capræ, oves hanc plantam, edunt, tarandi vero respuunt. Belluæ autem ut equi & fues, intactam hanc relinquunt, forsitan in medicinam illis, in oeconomia Naturæ, destinatam.

§. X.

Inter *insecta*, quæ nostro vescuntur Hyperico, haud raro ad radices ejus reperii larvas *Cocci polonici* in fat magna copia. Similes etiam in radice *Nardi strictæ* vidi, quod, cum antea a nemine observatum audiverimus, in lucem proferre mihi placuit. Sed num ejusdem sint speciei determinare non audeo, quum metamorphosin harum observare numquam mihi data fuerit occasio. Inquirant ulterius in hac re acutiores, fortassis laboris impensæ neminem pigebit.

§. XI.

Hæc sunt C. L. paucissima, quæ, pro otii ratione, de Hyperico in medium proferre constitui, huic conatui innocuo si ignoscas, forsitan alia vice maturiora expectare poteris. Valeat interim de his pagellis illud tritum:

*transcant cum cæteris.*

---

p) Vid. eadem Act. & Vol. XXIII. pag. 119.





E,

APUD JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.

*Handwritten scribble or signature in the bottom right corner.*

chro tingunt colore luteo. Succus vero antherarum ruber, quod proxime conveniat cum *Gummi Lacca* & in *Baphiis* æmulatur *Sanguinem Draconis* & *Gummi Laccam* aperte affirmat. Celeb. Prof. & Eqv. Otd. Vaf. Gadd. p).

Ex *animantibus* domesticis pecora, boves, capræ, oves hanc plantam, edunt, tarandi vero respuunt. Belluæ autem ut equi & fues, intactam hanc relinquunt, forsitan in medicinam illis, in oeconomia Naturæ, destinata.

§. X.

Inter *insecta*, quæ nostro vescuntur Hyperico, haud raro ad radices ejus reperi larvas *Cocci polonici* in sat magna copia. Similes etiam in radice *Nardi strictæ* vidi, quod, cum antea a nemine observatum audiverimus, in lucem proferre mihi placuit. Sed num ejusdem sint speciei determinare non audeo, quum metamorphosin harum observare numquam mihi data fuerit occasio. Inquirant ulterius in hac re acutiores, fortassis laboris impensum si neminem pigebit.

§. XI.


Hæc sunt C.L. paucissima, quæ, pro otii ratione, de Hyperico in medium proferre constitui, huic conatui innocuo si ignoscas, forsitan alia vice maturiora expectare poteris. Valeat interim de his pagellis illud tritum:

*transeant cum cæteris.*

---

p) Vid. eadem Act. & Vol. XXIII. pag. 119.





Joh. Afzelius del.

C. Bergius sc.



2

METHODUS  
MUSCORUM  
ILLUSTRATA.

---

QUAM  
INDULGENTE EXPER. FACULT. MEDIC. UPSAL.  
PRAESIDE  
VIRO NOBILISSIMO  
CAROLO LINNÉ,  
MED. ET BOT. PROF.

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MAJORI, AD  
DIEM XIV APRIL. 1781.

PROPONIT  
Olof Swartz,  
Norcopia-Gothus.

---

UPSALIÆ,  
APUD JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.

ch  
ru  
&  
L  
G

he  
ut  
di

ra  
m  
qu  
ce  
ci  
ru  
ra  
fi

H  
n



CO. THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION 500 N. 5TH ST. N. Y. C.

2

METHODUS  
MUSCORUM  
ILLUSTRATA.

---

QUAM  
INDULGENTE EXPER. FACULT. MEDIC. UPSAL.

PRAESIDE  
VIRO NOBILISSIMO  
CAROLO LINNÉ,  
MED. ET BOT. PROF.

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MAJORI, AD  
DIEM XIV APRIL. 1781.

PROPONIT  
Olof Swartz,  
Norcopia-Gothus.

---

UPSALIÆ,  
APUD JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.



